

Notamus vero impraesentiarum circa vocem Spiritus, nos eam non accipere in sensu Etymologico, Physicis alias usitato, quatenus per Spiritum mox substantia sanguinis praestantissima in arteriis et venis, mox vero corpora subtiliora ac tenuiora, aer scilicet ac ventus, intelliguntur, vi enim Etymologiae vox Spiritus descendit a spirare, hinc Germanice appellatur *Geist*/Belgice *Gheest* a verbo *gisten* fermentare, unde *Gist* fermentatio, quae vocabula omnia ventum, halitum, vel spiraculum significant, vid. *Braunius* in *Doctrina Foederum* Vol. I. P. 2. C.XI. Loc. 5. de Angelis §. 4. p. 245. sed in significatione usitata et Metaphysicis trita, prout notat substantiam immaterialem omnisque corporeae molis expertem, hoc sensu a Saluatore nostro *Luc. XXIV, 39.* describitur: *Spiritus est, qui non habet carnem et ossa.* Evidem priori in significatu veteribus *Chaldaeis, Platonicis* et *Pythagoraeis* Angeli fuere Spiritus; Hi enim omnibus Spiritibus, excepto DEO Deorum, corpus attribuerunt, sed tenuius multo quam nostrum, de quibus vid. *Histor. Philos. Orient. T. Stanleii* de Chaldaeorum opinione, *Clericus* in *Pneumatol.* de Angelis, ut et *Dn. D. Joh. Franciscus Buddeus* in *Element. Philos. Theoret.* part. 6. de Spiritibus C.I. de Spirit. creat. §. VII. p. 330. seq. Quos etiam secuti sunt nonnulli ex Scholasticis, ut *Caietanus, Eugubin, Bonavent. Richard. Aureol.* vid. *Arriag. Tr. II. Disp. 3. S. I. p. 18.* Quidam *Reformati, Arminiani* aliique, quos magno adductos numero vide apud *Quensted. l.c. p. 463.* et seq. confer etiam *M. Gödick* in *Diff. de praerogatiu. Angeli et animae rationalis Lipsiae 1687.* habita. Hanc quoque erroneam potissimum tuetur sententiam *Hobbesius* in *Elem. de Corpore cap. XXII.* et cum eo non pauci Medici ac Physici, affirmantes, quicquid reale existat, corpus esse debere, reliqua omnia pro phantasmatis habenda, vid. *Dn. D. V. E. Löescherus* l. c. praenot. contra *Naturalistas III. p. 214.* seqq. Nec desunt nostris temporibus, qui crassum illud dogma ex ipsa Script. S. quanquam male accepta, de novo stabilire conantur,